

BAYERISCHE
STAATS
BIBLIOTHEK
MUENCHEN

RUPERTI ABBATIS TVI-

TIENSIS, VIRI VNDECVNQVE

doctissimi, summiq; inter ueteres Theologi, Libri

X L I I . de operibus sancte Trinitatis, cum

luculentissimis capitulorum argumen-

tis, cunctisq; scripturarum locis,

nunc demum diligenter recon-

gniti & pristinæ integri
tati restituti.

III. primi Commentariorum Libri, Patri in diuinis attribuuntur:

XXX. subinde, Filio: Reliqui uero I X. sancto Spiritui.

Librorum ordinem ac numerum, uersa indicabit pagella.



Coloniæ, excudebat MELCHIOR NOVESIANVS,
Anno à CHRISTO nato, M. D. XXXIX.

geli, & nemine (inquit) per uiam salutaueritis. Nam reuera quasi per uiam salutant, qui uerbum dei, quod ore decantant, auditoribus proficere non desiderant.

¶ De eo quod ait: Deus eduxit eum de Aegypto, cuius fortitudo similis est Rinocerotis, & cæteris quæ secunda benedictione dixit. Cap. XX.

Non est (inquit) deus quasi homo, ut mentiatur & cætera. Tanquam diceret: Veni ego in alterum locum, sed non inueni alteratum deum. Semel posuit uerbum in ore meo, quod mutari non patitur, quandoquidem omnis homo mendax, & omnis filius hominis mutabilis est, sed non itidem deus mentitur, non similiter à sua sententia mutatur. [Ad benedicendum adductus sum, benedictionem prohibere non ualeo. Non est idolum in Iacob, non uidetur simulachrum in Israel. Dominus deus eius cum eo est, & clangor uictoriae regis cum illo. Deus adduxit eum de Aegypto, cuius fortitudo similis est Rinocerotis. Non est augurium in Iacob, nec diuinatio in Israel. Temporibus suis dicetur Iacob, & Israel quid operatus sit deus. Ecce populus ut leæna consurget, & quasi leo orietur. Non accubabit, donec deuoret p̄dam, & occisorum sanguinem bibat.] Quasi uinctum & catenatum audimus Prophetam, raptos ueritatis argenteos ore inuitio per singula uerbera proferentem. Ad bñdicendum (inquit) adductus sum, uidelicet ligatus ab illo qui benedictionum omnium solus arbiter est. Benedictionem prohibere uolo, prohibere nō ualeo. Quid igitur? Inuitus benedicam, non sponte benedictiones canam. Non est idolum in Iacob. Non uidetur simulachrum in Israel. Sed quid? Do minus deus eius cum eo, cum eo (inq) tanquam cum uxore uir zelator, prohibens adulterium idolorum, procul extrudens mœchiam simulachrorum. Et nequādo uacet, quasi absente uiro cum idolis uel simulachris per nocturnum mœchari silentium. Clangor Exo. 20 (inquit) uictoriae regis in illo est. Clangor uictoriae regis, zelatoria vox est dicentis, à mōte Sinai cum clangore bucinę uehementius perstrepentis. Non habebis deos alienos cōram me, non facies tibi sculptile. & cætera. Quo iure, quo debito solus ille uult uti quasi lege maritali? Deus (inquit) adduxit eum de Aegypto. Nempe causa iusta, causa legitima est. Eduxit hanc gentem de Aegypto, in manu forti, in brachio extento, pepigitq; fœdus cum ea, in asperione sanguinis super cunctis sermonibus suis. Cuius rei memor ipse in Ezechiele Propheta dicit: Transiēs per te uidi te conculcari in sanguine tuo & dixi Ezech. 15 tibi, cum essem in sanguine tuo, uiue. Ac deinceps: Et transiū per te, & uidi te, & ecce tempus tuum tempus amantium. Et expandi amictum meum superte, & operui ignomini am tuam, & iuraui tibi, & ingressus sum pactum tecum, ait dominus deus. Et facta es mihi, & laui te aqua, & cætera. Igitur non est nec esse licet, in Iacob Idolum, nec uidetur, nec uidere licet simulachrum in Israel, non (inquam) est nec esse debet augurium in Iacob, nec diuinatio in Israel. Quare? Quia deus adduxit eum de Aegypto, inquit. Et cōtinuo: [Cuius (ait) fortitudo similis est Rinocerotis: Parua dictione sensum magnificentum subintelligere licet. Rinoceros, animal est unicorn, Græce sic dictū, quod habeat cornu in nare, id est, super narem in fronte: tantæ fortitudinis, ut à nemine uinci: tantæ ferocitatis, ut à nemine contingi possit. Solummodo puellæ uirginis (ut aiunt Physici) blanditas admittit, trahitur odore uirginitatis, puellamq; cū in agro adesse persenserit, ultro experit, caput reclinat, blandoq; sinu grataanter indormit. Illuc à uenatore comprehensus cōfoditur, fitq; arte quod nullis constare potuit uiribus. Hoc respiciens propheticus spiritus, cuius, inq, uidelicet dei fortitudo similis est Rinocerotis. Hoc plane tā uerū quam piū est. Fortissimus namq; spirituum deus, uelut unicornis. i. potētiae singularis deus in comprehendibilis, deus in uictoria virtutis, postquam populi illi de Aegypto eduxit, uirginea tractus est odore uteri, uirginem experit, uirginea pudoris claustris inclusus est. Ex eo tantū cōprehendi potuit, & occidi. Igī fortitudo eius similis est Rinocerotis. Temporibus suis dicit Iacob & Israel, quid operatus sit deus, id est, cū tempus fuerit, p̄dicabit uero Iacob, & uero Israeli, quid adducendo hunc populum de Aegypto, significauerit deus, uel unde fortitudo eius similis Rinocerotis, recte dicitur. Ecce populus ut leæna consurget, & quasi leo orietur. Non accubabit, donec deuoret p̄dam, & occisorū sanguinem bibat. Et hoc quidem secundū literā ad p̄elia eiusdem populi referri potest, quia dicit Iosue transito Jordane ut leæna consurexit, & quasi leo ortus est, nec ante accubuit in terra prmissionis, donec deuoraret p̄dam, donec hostiū sanguinem funderet. Verū melius atq; certius ad illa tempora referit, quibus (ut nūc ait) dicit Iacob & Israel, quid operatus sit deus. Ecce cū ubi Rinoceros ille fortissimus ad morte crucis de uirginis sinu deductus est, populus eius ut leæna consurexit, nā ipse princeps ex mortuis resurgens q̄si leo ortus est secūdū p̄phetā Iacob, dicitis: Catulus leonis Iuda, ad p̄dā filii ascendisti, Gene. 49

requiescens accubuisti ut leo, & quasi leæna & cætera. Igit non accubabit (inquit) donec deuoret prædā, & occisorum sanguinem bibat, per metaphoram, per leonem fortissimū Christi & Apostolorū eius feruidam uirtutem exprimens, qui non quieuerūt, donec dia bolū mūdi principē, quē p se metipm Christus apud inferos quasi leo debellauerat, ipsi p totum mundū discurrentes, quasi leæna antiquis templorum sedibus protraherent.

¶ Dehis quæ tertia benedictione dixit, canens de semetipso, dixit homo cuius obturatus est oculus &c. Et quæ sit spiritualiter pulchritudo taberna culorum Israel.

CVmq; uidislet Balaam, quod placeret domino, ut benediceret Israeli , nequaquam abiit ut antea perrexerat, ut augurium quereret. Sed dirigens contra desertum uul tum suum, & eleuans oculos, uidit Israel in tētorijs commorantem per tribus suas. Et irruente in se spiritu dei, assumpta parabola, ait: Dixit Balaam filius Beor, dixit homo cuius obturatus est oculus, dixit auditor sermonum dei, qui uisionem omnipotentis intuitus est, qui cadit, & sic aperiuntur oculi eius.] Cam (inquit) uidisset, cum experimento didicisset, quod constanter placeret domino, ut benediceret, quippe qui & dixerat, non est deus quasi homo ut mentiatur, nec ut filius hominis ut mutetur: spe perdita, qua post suam cupiditatem hiabat, non abiit, ut ante perrexerat, ut augurium quereret. ¶ Auguriū quasi augurarium, id est, garritus auium, undefanatici, futura explorare consueuerunt, non quod oraculum dei dici debeat augurium, sed quia sic dici debuit in talis prophetæ tamq; cupidi consultoris despectum. Dixit homo (inquit) cuius obturatus est oculus, & cætera. Magnum ac præclarum est, auditorem sermonum dei esse: uerū tamen malum ac peruersum est, obturatum oculū habere. Item pulchrum ac honorificum est, uisio nem omnipotentis intueri, sed rectus ac legitimus debet esse ordo intuendi. At ille puerum exposuit ordinē, prius dicendo: Qui cadit, & sic aperiunt oculi eius. Hoc nisi dixisset, duo p̄dicta, cuius obturatus est oculus, & qui uisionem omnipotentis intuitus est, contraria uel repugnantia sibi uiderentur. Nunç autē planum intellectu fit, quia per propheticam quidem scientiam auditor sermonum dei est, & uisionem omnipotentis intuitus est, sed per avaritiam cor cœcatum habet, & in cupiditatem quidē cadit, sed sic tamen aper ros oculos habet, unde nec excusationem habet de casu, uel peccato suo. Quid talis homo dixit: [Quām pulchra tabernacula tua, o Iacob, & tentoria tua Israel, ut ualles nemorofæ, ut horti iuxta fluuios irrigui, ut tabernacula quæ fixit dominus, quasi cedri propter aquas.] Et secundum historicam quidem castrorum positionem superius descriptam, pulchra erant tabernacula Iacob, sed quia sermones dei sunt, quia uisio omnipotētis est, tabernaculorum spiritualis Iacob, spiritualem hic intelligamus pulchritudinem. Veri Israel ac spiritualis Iacob peregrinantis in seculo præsenti, tabernacula sunt religiosi, & secundū disciplinā Christi bene dispositi ordines, ordines coiugatorū, cōtinētiū, uiduarū, atque uirginum, secundum utrūq; sexū. Hæc plane tabernacula singula in suo proposito pulchra sunt. Et quām pulchra tabernacula, quām pulchra tentoria: Ut ualles (inqt) nemorofæ, ut horti iuxta fluuios irrigui, & cætera. Hæc ex alijs scripturæ locis ita esse per spicuum est. In Esaia dominus derelictæ quondam gētilitatī, spiritualium uirtutum meritata tanquam deserto arbusta promittēt: Dabo (inquit) in solitudine cedrum, & spinam, myrtum, & lignum oliuæ. Ponam in deserto abietem, ulmum & buxum simul, ut uideant, & sciant, & recognoscant, & intelligent pariter. Ergo pulchra tabernacula ut ualles nemorofæ. Item: Et eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum, cuius non deficiēt aquæ. Et in Canticis: Hortus conclusus, fons signatus, fons hortorum, puteus aquarum uiuentium, quæ fluunt im petu de libano. Ecce pulchra tabernacula, ut horti, iuxta fluuios irrigui. Et Psalmista cum dixisset: Rigans montes de superioribus suis, & cætera, continuo subsecutus: Saturabuntur (inquit) ligna campi, & cedri libani quas plātauit. Ergo pulchra tabernacula, ut cedri propter aquas, uidelicet in quibus aues nidificant, quarum abundantia, cum sint diuites homines, pauperum inopiam supplet.

¶ Prophetia de Christo ab eo quod ait: Fluet aqua de situla eius, & quod ait:

Cineo Assur enim capiet te.

Caput. XXII.

Fluet aqua de situla eius, & semen illius erit in aquas multas.] Quæ est situla eius? Imo quæ est aqua eius? Aqua eius aqua uiua eius, sancta est scriptura ad quam per prophetā intuitans dicit: Omnes sc̄ites uenite ad aquas. i. oēs diligentes, omnes quererētes deum, sanctas legit scripturas. Hæc aqua, Israelitici est aqua populi, illi namq; credita sunt eloquia dei. Quæ ergo est, & situla eius, nisi Christus eius. Nam per situlā aqua hauritur, & per Christum sancta scriptura aperitur. Imo ab illo sitis excitat, ut hæc aqua desideretur, ab

IN NVMEROS COMMENT. LIB. II. Fo. [CCVIII.]

tur, ab illo sensus aperitur, ut scripturæ intelligantur. Fluat igitur aqua de fistula eius, id est, uera manabit intelligentia scripturarum de Christo eius. Quid deinde? Et semen (inquit) illius erit in aquas multas. Quod est aqua de fistula eius, hoc est, aquarum multitudo de semine illius. Nam semen eius, semen patris eius Abraham, est Christus. Hoc semen illius erit in aquas multas, id est, hoc semen fundet aquas multas. Bibendo experti sumus, quod uere in aquas multas, sit semen illius. Qui in me credit (inquit) flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ. Item: Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, nō sit in æternum: sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salictis in uitam æternam. Hoc (inquam) gratia eius bibendo experti sumus, ecce enim, de hac fistula, quæ est Christus ipse, multa sancti spiritus in una ecclesia, dona percepimus, multa & largissima scripturarum fluenta possidemus. [Tolletur propter Agag rex eius, & auferetur regnum illius.] Hoc ita impletum est. Saul rex eius, scilicet, Israel fuit, contra uoluntatem domini expetatus, dicentis ad Samuelem: Audi uocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi, non enim te abiecent, sed me. Hinc præcepit Samuel ex ore domini. Vade & percute Amalech, & demoli re uniuersa eius. Nō parcas ei, sed interfice à uiro usque ad mulierem, & paruulum atque lactentem. At ille percussit quidem Amalech, sed pepercit Agag regi Amalech. Vniuersa quæ pulchra erant, di sperdere noluit, quicquid uero uile fuit, & reprobum, hoc demolitus est. Factum est autem uerbum domini ad Samuel, dicens: Poenitet me quod constituerim Saul regem, quia dereliquit me, & uerba mea opere non impleuit. Ac deinceps: Implege cornutum oleo, & ueni, ut mittam te ad Isai Bethlehemitem, prouidi em in filio eius mihi regem. Hoc (inquam) quod dixit, iste cadens, & cetera, apertos habens oculos, tolletur propter Agag rex eius, & auferetur regnum illius, subauditur, nō Israel, sed eiusdem regis eius, ut nullus regnet de posteris illius. Sed qd in tali tantoq; negotio regis huiusc meminit spiritus propheticus: Videlicet ut astrueret, quod præter Deum eius nemo iurest rex eius. Nam hoc est, quod subiungit protinus. [Deus eduxit illum de Aegypto, cuius fortitudo similis est Rinocerotis.] Ut (inquam) astrueret, quod præter deum eius, nemo iure sit rex eius. Hoc in illo dixit spiritus domini. Iuxta quod ipse deus cum dixisset ad Samuel: Non enim te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos, addidit cœtui: Iuxta omnia opera sua quæ fecerunt à die qua eduxi eos de Aegypto usq; ad diem hanc sicut de reliquerunt me, & seruierunt dijs a ienis, sic faciunt etiam tibi. Igitur cum dixisset: Tolletur propter Agag rex eius, & auferetur regnum illius, cōtinuo ut astrueret, quod nec unquam debuisset ille esse rex eius, sed solus deus, deus (inquit) eduxit eum de Aegypto, cuius fortitudo similis est Rinocerotis, eodem sensu quo superius. Quia uero deum suum regem suum fortissimum Rinocerotis similem, de uirginis sinu factum comprehensibilem, ductumq; ad mortem reliquerunt, hostesq; illius facti sunt, alium recepturi sunt, id est, Antichristum, cuius in typum Saul expetierunt. [Deuorabunt (inquit) g̃etes hostes illius, ossaq; eorum confringent, & perforabunt sagittis.] Hodie namq; nos gentes, illos tales hostes eius deuoramus, ita ut nemo illorum audeat extollere caput confringentes ossa, id est, quæ fortes putantur rationes eorum, & perforantes sagittis ueritatis. Nam quot quot sumus uerbo ueritatis instructi, atq; ad reddēdam rationem de fide parati, recte dici mur sagittarij domini, sagittarij potentis, cuius uerba in nobis sagittæ sunt acutæ, cum carbonibus desolatorijs. [Accubans dormiuit ut leo & quasi leæna quam suscitare nemo audebit.] Hoc & Iacob patriarcha eodem quidem sp̃igili, sed meliori mentis statu prædictum est. Interemptus in ligno, iacuit in sepulchro, dormiuitq; ut leo rugiēs apud inferos, & in Apostolis suis, imo in tota ecclesia sua, orbem uniuersum prædatus est, quasi leæna, quā suscitare (inquit) nemo audebit, cui resisteret nemo poterit. [Qui benedixerit tibi, erit ipse benedictus, & qui maledixerit tibi in maledictione reputabit.] Hoc luce est clarius, quia qui benedic Christo & sancto populo eius, particeps erit bene dictionis eius, dicētis: Venite benedicti patris mei, percipite regnum qd uobis paratum est ab origine mundi, & econtra qui blasphemias irrogat, maledictus erit in aduentu eius, dicentis: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.

¶ Quid intenderit, dicendo: Veruntamen pergens ad populu[m] meū dabo consilium, quid populus tuus faciat populo huic, addiderit extremo tempore. Caput XXIII.

V Eruntamen pergens ad populum meum, dabo consilium quid populus tuus populo huic faciat extremo tempore.] Quale cōsilium dederit iste cadens apertis oculis, uel cur extremo tempore dixerit subsequentibus factis apparebit. [Dixit homo cuius obturatus est oculus eius, dixit auditor sermonum dei, qui nouit doctrinam altissimi, &

Iohan. 7
Ibidem. 4

Saul rex
1. Reg. 8
Ibidem. 13

1. Petri. 3
Psalm. 119

Gene. 19

Mat. 25